



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 120. Quid tam Jure Civili quam Canonico, tam antiquo quam novo statutum quò ad pœnas incurrendas à Raptoribus mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

verentialem, citra tamen omnem dolum & fraudem adducta sit, cum tales preces se solis vim non inferant; secus tamen, si dolosis persuasionibus aut fallacibus promissionibus munerum, vel quibuscunque fraudibus circumventa abducatur, quod in dubio praesumitur. Sanch. l. c. n. 10. & 11. Pirh. n. 5. Farin. l. c. n. 131.

3. In foro secundo: Committi raptum; (etsi forte in hoc casu infligenda poena raptori ordinaria mitior) si puella sub parentum potestate constituta, etiam consentiens, ex eorum domo ipsis invitatis abducatur; cum per talem abductionem gravis fiat parentibus injuria, quam puella per suum in abductionem consensum non potest remittere. Sanch. n. 12. Farin. n. 118. Host. in sum. de raptor. n. 1. quod autem abductio fiat insciis parentibus, etsi adhuc sit raptus; quia adhuc deest eorum consensus, quod satis est, ut de injuria queri possint, non est tamen raptus proprie & stricte dictus, ordinaria poena dignus. Sanch. l. c. Farin. n. 121. Pirh. l. c. Laym. L. 5. tit. 10. p. 4. c. 13. n. 2. Navar. L. 5. conf. 3. n. 1. de raptor. Pari modo si constituta sub tutorum vel curatorum (vel etiam, ut addit Pirh. fratrum) custodia abducatur, raptus est, etsi minora poena puniendus. Laym. Pirh. LL. cit. Sanch. n. 14.

4. In foro tertio: Committi raptum, si sola femina dissentiat, nolique de domo parentum abduci, etsi parentes consentiant; cum hi non habeant potestatem exponendi illam ad talem usum, Hurt. Pirh. LL. cit. Sanch. l. c. n. 8. unde patet, duplicem esse raptus speciem, ut D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. nimirum, si vel vis injusta in abductione puella exerceatur vel in ipsam puellam, vel erga ejus parentes aut tutores.

Infertur quartò: Quod si femina initio consentiens in sui abductionem, & postea invita & repugnans cognoscatur, non committi raptum, sed stuprum; cum in delictis juxta L. divus. ff. ad Leg. Corneli. de Sicar. initium spectetur de contra committi raptum (etsi raptor non incurrat saltem poenam ordinariam raptus; quia is non fuit consummatus, ut AA. mox citandi) si femina ab initio invita abducta fuit, etsi postea liberè consentiat in copulam; quia initium, in quo fuit violentias spectandum. Sanch. l. c. n. 7. Farin. l. c. q. 145. & 134. Pirh. n. 4.

5. In foro quinto: Non esse raptum, si quis per vim à femina extorqueat copulam, non traducendo illam de uno loco ad alium sed neque si praesens abducatur à loco, v. g. de via publica per aliquot solum passus commodioris concubitus gratia, vel de una camera in aliam, sed ubi de domo in domum aliam, sive de loco in locum alium fuit traducta animo abducendi eam ulterius à loco, in quo habitat seu commoratur. Sanch. n. 20. & 21. Farin. q. 145. n. 69. Clarus §. raptus n. 1. Pirh. n. 10. etsi ad locum destinatum non pervenerit.

6. In foro sexto, non esse raptum (saltem qui poenas juris incurrat L. unie. c. de rapt. virgin.) si rapta fuit publica meretrix, Sanch. n. 22. Mascard. de prob. vol. 3. concl. 1253. n. 12. & 13. cum scorta non veniant honestarum foeminarum nomine. Gl. in cit. L. V. virginum. junctà Gl. margin. L. B. & meretrix non censetur vim passa à cognoscente illam, nisi probetur. Secus tamen est, si non tantum desit esse publica meretrix, facta alicujus concubina; sed etiam ceperit ducta poenitentia impurae vitae, honestè vivere. Mascard. l. c. n. 14. Item secus, saltem quò ad incurrendam poenam, si mulier, etsi inhonesta,

esset tamen conjugata, Mascard. n. 15. De caetero benedicit Pirh. n. 11. cum Sanch. n. 37. perinde est in foro conscientiae, quò ad committendum raptum, sive mulier sit meretrix sive honesta, dummodo violenter ex dictis causis abducatur.

7. In foro septimo, non esse raptum (saltem secundum jus canonicum, cui standum, & quod in hoc videtur correxisse jus civile. L. unie. c. de rapt. virg. ubi in hoc casu censetur adhuc committi raptus) dum quis eam, cum qua contraxit vera sponsalia, etiam de futuro tantum, rapit de domo paterna, aut invitatis parentibus. c. cum causa, de raptor. Pirh. n. 7. idque sic statutum à jure canonico in favorem matrimonii, quod dum debet esse liberum, ut cum foemina liberè posset contrahere in domo parentum, etiam impudè à sponso volens abduci poterit invitatis parentibus ad matrimonium promissum exequendum. Pirh. l. c. cum Abb. in cit. c. cum causa. Contrarium tamen dicendum, si quis foeminam, cum qua contraxit vera sponsalia de futuro, invitam & reclamantem educeret de domo paterna ad consummandum cum ea matrimonium. Pirh. l. c. Castrop. d. 4. p. 2. §. 2. num. 8. Azor. p. 3. L. 3. c. 14. q. 3. Idem est, dum quis foeminam, cum qua contraxit matrimonium ratum, volentem tamen, uti jure suo, quod habet ad deliberandum de ingressu in religionem spatio duorum mensium, per vim & in vitam rapiat ad consummandum cum ea matrimonium. Azor. q. 4. Pirh. num. 8. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 4. num. 11. Item contrarium dicendum, nimirum adhuc committi raptum, si quis foeminam, cum qua quidem tractatum habuisset de matrimonio, ante tamen adhuc vera sponsalia contracta, etiam volentem abduceret invitatis parentibus, ait Pirh. l. c. num. 7. citant Sanch. L. 7. d. 12. num. 15. Castrop. l. c. Videtur tamen etiam ad evitandum raptum sufficere, si legitime tractatum fuerit de contrahendo matrimonio absque eo, quòd sponsalia adhuc contracta, ut indicat satis Laym. cit. c. 13. num. dum ait: si tractatus de matrimonio legitime contrahendo, vel sponsalia antecesserunt; quippe in cit. c. cum causa. simpliciter dicitur: ubi nihil ante de nuptiis agitur; nimirum quod tunc committatur raptus, si invitatis parentibus abducatur.

8. In foro denique, non committi raptum, si quis mulierem non ex causa exercendae cum ea libidinis (quod tamen semper praesumitur, dum mulier est juvenis & apta ad libidinem. Farin. q. 145. num. 78.) aut ad contrahendum cum ea matrimonium, sed ex causa alia. Sanch. num. 17. Clarus §. raptus. num. 1. id etiam procedere videatur, si ex alia causa abductam, postea tamen per accidens cognoscat carnaliter. Uti de contra adhuc committetur raptus, dum mulier invita abducta libidinis cum ea exercenda, aut matrimonii contrahendi causa, etsi dein neutrum attentatum, vel quia raptor non potuit, vel etiam poenitentia ductus abstinuit ab utroque, quia, ut dictum, spectandum est initium & intentio.

Quaest. 120. Quid tam jure civili, quam canonico, tam antiquo, quam novo statutum, quò ad poenas incurrendas à raptoribus mulierum.

R Esp. De hoc dicendum ad tit. 17. L. 5. decret. vide tantisper Pirh. ad dictum tit. §. 1. & 2.

Quaest.